



Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi Thomae tomi quinque

Accvratam Qvæstionvm D. Thomæ, Ab LXXXIV. Vsqve ad finem: &
Disputationum de virtute Pœnitentiæ, De Clauibus, De Sacramentis
Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, De Purgatorio, Suffragiis & Indulgentiis,
expositionem complectens : Accesserunt Indices quinque: ... Postremus

Suárez, Francisco

[Köln], 1616

Sectio 3. Quid in casu neceßitatis faciendum sit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93815)

talium peccatorum, nec confessio illorum est sacramentalis, nec pars sacramenti: ergo non est necessaria & ita concedit Aletius, ac Petr. Soto censet probabile; sed reuera non est: quia tunc dimidiaretur confessio sine vlla causa rationabili. Et hæc duæ confirmationes vltimæ valent ad soluendum fundamentum contrariæ sententiæ: an vero simpliciter efficaces sint, postea videbimus. Eadem vero argumenta fieri possunt ex parte absolutionis: quia non minus est de iure diuino integritas absolutionis, quam confessionis: illa autem absolutio non est integra: quia non cadit in omnia peccata confessæ, cum non procedat ex potestate iurisdictionis in illa omnia: ergo non potest esse per se licita sine vlla urgente occasione, vel necessitate, quia tunc nec materialiter: nec formaliter seruetur integritas. Maior propositio manifesta est ex Concilio Tridentino sess. 14. cap. 5. & ex supra dictis de integritate confessionis. Vbi ostendimus, ideo in confessione, seu accusatione necessariam esse integritatem: quia sententia & absolutio per se postulat, vt si de omnibus peccatis: ergo iuxta regulam dialecticam magis est necessaria integritas in absolutione, quam in confessione.

Trident.

6. Dubium soluitur.

Pecior diffcultas.

Deciditur Namur. Caiet.

Sed quæres, vtrum, si absolutio hoc modo detur, factum teneat: & quidem si à penitente non suscipiatur bona fide, certum est non tenere factum: quia & ponitur tunc obex sacramento, & confessio nullo modo est integra. Difficultas vero est, quando penitens bona fide absoluitur. Videtur enim etiam tunc non valere absolutio: quia est sententia lata à non legitimo iudice. Nihilominus censeo in illo casu sacramentum esse validum: quæ est sententia communis in 4. d. 17. vt notauit Nauarr. in Summ. cap. 9. num. 7. & sentit Caiet. verb. Confessio, c. vlt. Itaque si hoc modo quis bona fide confitetur, & absoluitur, non tenebitur iterum confiteri peccata non reseruata, sed de reseruatis confiteri suo superiori. Ratio est: quia tunc penitens formaliter bona fide confitetur integrè, & sacerdos habet iurisdictionem super confessionem illam, quatenus sacramentalis est; & ideo nihil obstat quominus sacramentum perfici possit. Confirmatur, & explicatur: quia vel ad valorem sacramenti necessarium est, vt minister habeat iurisdictionem super omnia peccata, quæ penitens in re ipsa habet, vel non. Primum dici non potest, aliàs qui haberet peccata reseruata omnino oblita non absolueretur valde ab eo, qui non habet iurisdictionem in reseruata; quod nullus hactenus dixit. Si autem non requiritur iurdictio in omnia, quæ sunt in re, sufficit iurdictio circa aliqua, quotiescunque bona fide fit confessio.

7. Obiect.

Diluitur.

Dici posset, non requiri iurisdictionem in omnia, quæ sunt in re, requirit tamen in omnia, quæ penitens dicit. Et ratio differentiarum reddi potest, quia minister non fert iudicium de oblitis, fert autem de omnibus, quæ dicit penitens: & potest ferre iudicium de quibusdam, & non de aliis. Sed hoc non satisfacit aliàs sequitur, si quis bona fide confiteatur reseruata cum non reseruatis, existimans nulla esse reseruata, illum non manere absolutum, & tamen eum, qui propter obliuionem omittit aliquod reseruatum, vere absolui quod est cõtra omnem rationem. Et similiter, qui adhærens opinioni Aletius confiteretur non reseruata, tacendo thesaurum, maneret absolutus, & qui confiteretur omnia, non maneret absolutus, quod plane absurdum est. Denique illa differentia non est materialiter, sed formaliter attendenda, quamuis autem huiusmodi penitens dicat omnia peccata sua coram hoc sacerdote, non tamen omnium confessio est sacramentalis, seu pars sacramenti, sed illorum tantum, quæ subsunt iurisdictioni talis sacerdotis, & super alia cadit directe absolutio, & de illis in re iudicat sacerdos: ergo si aliàs pro-

pter bonam fidem tollatur impedimentum, & confessio illa fit formaliter integra; fit sacramentum.

Hic vero occurbat statim difficultas: nam sequitur pari ratione dicendum esse, confessionem factam bona fide simplici sacerdoti de venialibus, & mortalibus peccatis, validam esse, etiam si sacerdos ille iurisdictionem non habeat in peccata mortalia: nam est eadem ratio, & proportio. Consequens autem videtur creditu difficile: quia in tali sacerdote non videtur esse potestas ad reconciliandum hominem cum Deo. Sed nihilominus tam illationem, quam consequens censeo esse valde probabilis: quia non dubito, quin confessio facta huiusmodi sacerdoti de solis venialibus etiam si penitens habeat mortale inculpabiliter oblitum, valida sit, & hominem sanctificet, ac Deo reconciliet virtute sacramenti. Vnde, licet ille sacerdos non habeat iurisdictionem ad reconciliandum hominem Deo, per se iudicando de mortalibus peccatis; tamen quatenus habet potestatem ad conficiendum tale sacramentum, mediante illo potest hominem sanctificare, & consequenter mortale peccatum expellere, etiam si ab illo per se non absoluit: ergo idem dici poterit, etiam si peccatum mortale non sit oblitum, sed bona fide in confessione propositum: quia hoc non impedit quominus ex illa confessione, quatenus in re legitima est, & absolutione fiat verum sacramentum. Sed de hac re iterum redibit sermo sectione sequenti.

SECTIO III.

Virum in aliquo casu necessitatis possit inferior sacerdos absolvere eum, qui habet casus reseruatos antequam coram superiore compareat.

NON tractamus de articulo extremæ necessitatis seu periculo mortis, sed de aliis occurrentibus, in quibus necesse est aut implere præceptum annuæ confessionis, aut communicare, vel sacrum facere, ita vt non possit omitti sine graui scandalo, aut infamia; & pro tunc non patet aditus ad superiorem. Hoc ergo supposito sunt in hac re tres opinioniones. Prima simpliciter negat posse hominem in eo casu absolui ab inferiore. Tenent Richard. Durand. Ad 2. locis citatis sect. præcedenti. Et habent grauiam fundamenta, quæ infra videbimus. Dicunt tamen illi autores, in eo casu posse hominem accedere ad communionem, vel ad faciendum sacrum cum sola cõfessione, tanquam qui non habet copiam confessionis. Secunda opinio simpliciter affirmat posse tunc absolui: quæ est fere omnium, Aletius, Palud. Gerson. & aliorum, quos ibidem citauimus, qui indifferenter loquuntur: Solus Angelus explicuit, hoc fieri posse, etiam si peccatum habeat excommunicationem annexam. Tertia opinio distinguit, quod si peccatum est reseruatum sine censura, poterit absolui penitens, non tamen si excommunicatio adiuncta sit: quia hæc non potest tolli in eo casu & quamdiu non aufertur, homo est incapax absolutionis sacramentalis. Ita Cano, Soto, & Ledesma, qui nihilominus admittunt posse hominem in huiusmodi casu, etiam si occulte excommunicatus sit, accedere ad communionem, propterea vitandum scandalum, vel grauiam infamiam.

Mihi inter has opinioniones placet secunda, si recte declaratur, & confirmetur. Duobus enim modis intelligi potest fieri hæc confessio, & absolutio: primo per iurisdictionem ad absoluendum directe & per se à peccatis reseruatis, quamuis non sine onere cõparendi coram superiore. Nam hoc modo & subuenitur necessitati subditi, & seruatur rigor in sententia per reseruationem; & ideo benigne interpretatur

mut, hanc esse voluntatem superioris referunt. Quod si hoc verum est, etiam extendenda est hæc interpretatio ad casus habentes excommunicationem annexam: quia, si dare creditur superioris iurisdictionem ad absolvendum à culpa, consequenter etiam à censura, cum hæc debeat antecedere. Et in hoc sensu hæc sententia est mihi maxime dubia, & in rigore non videtur vera, propter dicta in præcedente disput. sect. 3. ibi enim probabilius duximus, extra casum articuli mortis non habere inferiores sacerdotes huiusmodi licentiam, nisi in casib. Pontificiis, qui in iure exprimuntur, vbi etiam declaravimus hoc esse magis consentaneum Concilio Trid. & nullum esse fundamentum sufficiens ad id asserendum, & solæ coniecturæ, in re tam gravi, & quæ pendet ex libera voluntate concedentis hanc iurisdictionem, non sufficiunt.

Melius ergo, & probabilius asseritur dicta sententia posteriori modo absolvendo, directe solū à peccatis commissis: & in eo sensu loquuti sunt auctores secundæ, & tertiæ sententiæ, vt clarius explicavit Soto, & alij moderni. Et probatur in hunc modum: quia ad valorem sacramenti non est simpliciter necessaria iurisdicctio super omnia peccata mortalia, quibus in re ipsa pœnitens ligatus est: ostendimus enim, si alioqui seruetur integritas formalis, sufficere ad valorem sacramenti iurisdictionem circa aliqua peccata, sed in præsentī casu videtur seruari formalis integritas, & aliàs, vt supponim³, minime habet iurisdictionem circa aliqua peccata, ergo absolvendo verum conficiet sacramentum, per quod salte indirecte tollit peccata reservata. Minor probatur: quia quando cunctiq; vrget grauis causa, vel necessitas recipiendi sacramentum, & non potest in re ipsa confessio integra fieri, quamuis dimidietur, cõsecratur illud esse tantum materialiter, formaliter autē integritas seruari; & pari ratione idem erit de absolucione. Sed in præsentī casu intercedit grauis causa, & necessitas: ergo ex defectu integritatis non erit nullum sacramentum, sed neq; est nullum ex defectu iurisdictionis, vt ostensum est: ergo. Confirmatur exemplo, quia si peccatum tantum reservatū relinqueretur ex obliuione, & de aliis fieret confessio coram inferiore bona fide, & daretur absolutio, fieret sacramentum, & indirecte tolleretur peccatū reservatum. Singamus igitur, peccatum reservatum non esse oblitum, tale tamen esse, vt non possit peccator hic, & nunc illud confiteri huic inferiori sacerdoti sine aliquo grani damno extrinseco, & occurrere necessitatē sacramenti, de qua agimus: tunc igitur posset confiteri illi sacerdoti reliqua peccata tacendo reservatū: quia quoad integritatē pertinet, illa est sufficiens ratio tacendi, æquiuales obliuioni: ergo tunc poterit absolui, & indirecte tolli peccatum reservatum. Cur ergo nō poterit, etiam si illud proferat, vel cur aliàs erit melioris conditionis, solum propter extrinsecam occasionem occurrētē, propter quam tacere potuit peccatum?

Sed dicunt aliqui, repugnare peccatum esse in cõfessione declaratum, & absolucione non cadere in illud directe, si detur: quia nihil aliud est, peccatū directe iudicari, nisi expresse, & distincte asserri in iudicium, & super illud sententiam proferri. Hoc autem fit, quoties homo distincte aliqua peccata cõfiteatur, & postea absoluitur, præsertim si ex intentione sacerdotis in illa omnia cadat absolutio. Respondetur, Licet ad directam absolucionem necessarium sit peccatum in confessione aperire: tamen id non sufficit, nisi sacerdos habeat iurisdictionem in tale peccatum: quia absolutio directa est actus talis iurisdictionis. Imo neque ipsa confessio est propria materia sacramenti, vt est de tali peccato, in q; sacerdos non habet iurisdictionem, quia non est accusatio facta coram legitimo iudice. Quapropter, licet post narrationem omnium peccatorum absolutio simpliciter proferatur, tamen re ipsa nō direc-

A te operatur, nisi in ea peccata, quæ cadunt sub iurisdictionem absoluentis. Neque hoc potest impedire praua, aut erronea intentio ministri, si alioqui habet veram intentionem conficiendi sacramentū, vel faciendi quod Christus instituit, seu, quod perinde est, faciendi secundum potestatem sibi concessam: nam hæc est intentio per se efficax, & valida: alia vero est ex errore priuato, qui non excludit substantialem intentionem.

Atque hinc etiam constat sententiam hanc nihil discrepare à doctrina Concilij Trid. cuius verba attente consideranda sunt, dum ait, inferiorem sacerdotem nihil posse in casibus referuatis: non enim absolue dixit, nihil posse, neq; etiam dixit, nihil posse in personam habentem casus referuatos, sed cum limitatione dixit nihil posse in casibus referuatis. Quod ideo dixisse credimus, quia talis sacerdos non habet iurisdictionem in huiusmodi casibus, & ideo ab eis proprie absolueri non potest: cū hoc tamen stat (quod Concilium non negat) vt possit talis sacerdos absolueri ab aliis peccatis, quo fiet, vt per accidens, & indirecte tollantur referuata, sicut tolli possunt per contritionem, vel per attritionem cum alio sacramento, vt g. Eucharistiæ, aut Extremæ vnctionis.

Hinc vero ulterius infero, non solum licere in tali euentu huiusmodi absolucionem dare, quando casus referuati non habent excommunicationem annexam, verum etiam si habeat, & ipsa excommunicatio per sacerdotem auferri non possit, quod nunc supponimus accidere posse in casibus non Pontificiis. Quod tenuit Aug. supra, & sumitur ex his, quæ tradit Medin. in Cod. de Confessione, q. 22. de Confessione ab excom. facta in fine. Ad hoc autem probandum suppono, excommunicationem pœnitentis per se non reddere personam inhabilem ad sacramentum Pœnitentiæ recipiendum, neque irritare illud, si ex parte ministri omnia necessaria concurrant, & ex parte pœnitentis intercedat bona fides, ac dispositio: quia tunc concurrunt omnia substantia-

lia, quibus stantib. sola prohibitio Ecclesiæ non potest irritare sacramentum, quod iurius disputabimus tractando de excommunicatione. Deinde adiungo aliud principium, quoties excommunicatus, qui non potest absolui ab excommunicatione propter occurrentem occasionem, potest licite recipere sacramentum Eucharistiæ, posse etiam licite recipere sacramentum Pœnitentiæ, quantum est ex parte excommunicationis: quod principium etiam pendet ex materia de excommunicatione. Nunc autem probatur breuiter, quia non est minus prohibita excomunicato susceptio Eucharistiæ, quam sacramenti Pœnitentiæ: nam vna lege vtrumq; prohibetur, & ex parte ipsarum rerum maior dignitas, & dispositio requiritur ad Eucharistiæ, quam ad Pœnitentiæ: & communicatio in diuinis, qua precipue intendit priuare excommunicatio, maior certatur in receptione Eucharistiæ, quam alterius sacramenti. Aliunde vero supposita necessitate, quæ honestat receptionem Eucharistiæ, nulla est deordinatio in hoc quod præmittatur confessio, sed potius est ille ordo maxime consentaneus iuri naturali, & diuino, quo tenetur vnusquisque se probare etiam per confessionem priusquam ad Eucharistiæ accedat: ergo, si licet tunc excommunicato Eucharistiæ recipere, etiam confiteri. Nam, si Ecclesia pro eo articulo necessitatis, vel non potuit prohibere, vel saltem non prohibuit excommunicato vsum Eucharistiæ, etiam prohibere non potuit, vel saltem non prohibuit ordinem illum iure diuino per se necessarium, nimirum, vt ante communionem præmittatur confessio.

Ex his igitur principiis manifeste concluditur intentum: nam in eo casu, de quo loquimur, licitum est pœnitenti, non obstante excom. municatione, recipere Eucharistiæ, vt Cano, & Soto supponit estq; certum

Hanc sententiam concordat cum Trid.

Medin.

7. Conclusio.

Explicatur sententia in vtro sensu.

Solutio.

tum, vt suo loco dicemus: ergo etiam est illi licitum confiteri, quantum est ex parte eius: ergo excommunicatio non obstat, quominus à sacerdote absoluti possit, sed nihil aliud ibi interuenit, quod obflare possit: quia, si peccata illa reseruata non haberent excommunicationem annexam, non impedirent absolutionem, vt ostensum est: ergo. Et confirmatur, quia, si propter scandalum, vel infamiam vitandam licet excommunicato se ingerere communicationi diuinorum, aliquando potest contingere, vt ad vitandum grauem infamiam, vel scandalum, necessarium sit confiteri: ergo tunc ex parte penitentis erit licita confessio, & ex parte absolutentis non deest potestas, quia excommunicatio penitentis non priuat sacerdotem iurisdictionem in omnia peccata: ergo poterit illum absolvere, & valide, & licite: solum est necessaria prudentia, vt verus casus necessitatis discernatur.

Duae difficultates explicantur.

8.
Prima difficultas.

DVæ tamen supersunt difficultates. Prima est, quia sequitur penitentem in hoc casu non teneri ad confitendum integre omnia peccata, etiam reseruata sed solum non reseruata. Patet sequela, quia reseruata non sunt materia illius confessionis, quia, cum non subsint iurisdictioni ministri, confessio eorum non est sacramentalis. Ad hoc Alexander concedit sequelam: & Maior, ac Petrus Soto censent probabile, sed Diuus Thomas & reliqui omnes contrarium docent, quibus in re morali magis assentiendum. Ne nimiam licentiam sine causa tribuamus penitentibus, præsertim, cum probabile sit ministrum tunc habere iurisdictionem. Et possit etiam probabilis ratio reddi propter quam hæc integritas requiratur. Respondetur ergo negando sequelam, primo, quia est, non absoluat minuter directe à reseruatis, tamen, vt penitens possit absolui à non reseruatis, oportet vt sit circa omnia bene dispositus, quam dispositionem debet examinare minister, & ideo habet ius cognoscendi totam causam, & totam conscientiam penitentis, & omnes occasiones, vel obligationes eius, vt possit illum absolvere. Deinde addunt aliqui, quia minister directe tollit aucterionem à Deo, in quo omnia peccata mortalia habent connexionem, ideo probabile esse ab omnibus directe absolvere, quatenus à Deo auertunt, quamuis circa aliqua reseruata secundum proprias rationes illorum iurisdictionem non habeat, & ideo oportet, vt omnia illa cognoscat, vt ab omnibus absoluat, quatenus à Deo auertunt, licet alia ratione, ea, quæ reseruata sunt. Postea consentenda sunt superiori. Hæc tamen consideratio, licet probabilis sit, non est necessaria: quia ad cognoscendum id in quo peccata conueniunt, non esset admodum necessarium omnia districte cognoscere: maxime, quia huiusmodi sacerdos non potest per se, ac directe remittere illam aucterionem à Deo, vt nascitur ex omnibus peccatis, sed solum vt fundatur in his quæ illius iurisdictioni subiacent. Aliæ ergo probationes practice, ac morales probabiles sunt, & sufficiunt.

9.
Secunda difficultas.

Secunda difficultas est, quia sequitur, si quis habeat peccata venialia, & mortalia, & occurrat eadē necessitas confitendi, posse confiteri sacerdoti simplici, si alius non inueniatur. Patet sequela, quia ille habet iurisdictionem circa venialia: poterit ergo ab illis absolvere, & perficere sacramentum, & ita indirecte tollere mortalia, quatenus illa postea confitenda sint proprio sacerdoti. Ac denique rationes supra factæ, hic proportionaliter applicari possunt. De hac difficultate nihil inuenio dictū à citatis auctoribus, & ideo circa illam non omnino definiam eam sententiam, in quam propensus sum: Videtur enim mihi illa consecutio valde apprens propter magnā similitudinem, vel paritatem rationis: nec video

Respons. 1.

A vrgentem rationem, aut incommodum alicuius momenti, propter quod timendum sit illud consequens admittere. Quid enim refert, quod in eo casu necessitatis aliquis confiteatur simplici sacerdoti eodem modo, quo potest, & ab illo etiam absoluat quantum ille potest, si postmodum ita manet obligatus ad confitenda omnia sua peccata mortalia proprio sacerdoti: ac si omnino confessus non fuisset? Hoc enim vtile esse potest tali peccatori, vt fructum aliquem ex illa absolutione obtineat, & vt si fortasse non erat sufficienter contritus, per illam perficiatur, & ita saltem indirecte iustificetur ab omnibus peccatis. Pastores autem animarum per hoc nullo iure suo priuantur, nec in aliquo peruertitur debitus ordo, & iurisdictionum distinctio. Quid ergo periculi est in illo consequente admittendo?

Quia tamen hoc non videtur ita vsu receptum, possumus negare consequentiam, & conari ad aliquam differentiam rationem constituendam. Prima esse potest, quia vt minister possit efficax absolvere aliquem habentem conscientiam peccatorum mortalium, necesse est, vt habeat iurisdictionem saltem circa peccata mortalia, vt sic, vt possit per se reconciliare Deo hominem, qui ab eo erat auersus. Et in idem ferè redit dicere, iurisdictionem circa sola peccata venialia esse tantum secundum quid, & ideo non sufficere ad absolendum eum, qui habet peccata mortalia, etiam indirecte: secus vero esse in iurisdictione ad absolendum à mortalibus: nam illa est iurdictio simpliciter, & perfecta intentione vt sic dicā, licet extensue non se extendat ad omnia mortalia. Hæc vero ratio mihi non satisfacit, alioqui etiam procederet de habente mortale peccatum oblitum, vt confessio de solis venialibus bona fide ab illo facta simplici sacerdoti, non sit verum sacramentum, nec sanctificet talem hominem alias bene dispositum, quod certe est falsum, & improbabile, cum nihil ibi sit quod impediatur veritatem talis sacramenti, & consequenter nec effectum eius. Quod si illa iurdictio sacerdotis tunc sufficit, profecto etiam si peccatum mortale sit in conscientia penitentis, nihil obstat, si alioqui bona fide ipse procedat, & cum debita dispositione, & formalis integritate confiteatur, vt rationes factæ in hac, & præcedenti sectione apud me conuincunt. Vnde non dubito, quin in hoc etiam casu perficiatur sacramentum, siue ex parte ministri intercedat bona, siue mala fides, dummodo talis habeat intentionem confitendi sacramentum: nam malitia ministri non impedit veritatem sacramenti, si cætera adsint.

Solum ergo potest superesse quæstio, an in casu in obiectione proposito, possit quis licite, & bona fide ita confiteri per se loquendo, & seclusa ignorantia. Sic enim dicebamus posse confiteri quempiam ordinario sacerdoti inferiori, quauis habeat casus reseruatos: & in hoc quærebamus diuersam rationem. Igitur, si quæ ratio reddenda est, sumenda profecto est ex vsu, & ex Ecclesiæ concessione. Diximus enim supra iurisdictionem hanc sacerdotum omnium ad absolendum à venialibus, seu (quod perinde est) licentiam datam omnibus fidelibus, vt possint confiteri peccata venialia cuiunque sacerdoti, origine habuisse ex concessione Ecclesiæ: & traditione, ac consuetudine retineri: hinc ergo colligimus extendendam non esse ultra id, quod consuetudine receptum est: consuetudine autem solum videtur introductum, vt tunc fideles habeant hanc licentiam, quando non habent conscientiam peccati mortalis: ideoque, quando illam habent etiam non licet eis confiteri simplici sacerdoti extra articulum mortis, ac proinde, si ita confiteantur, nullum fiet sacramentum non tam propter solum defectum iurisdictionis ex parte ministri quam propter indispositionem, quæ in penitente inde resultat, per se loquerdo, & seclusa ignorantia: nam si hæc interueniat, plant

concedimus, illud sacramentum non esse omnino nullum. At vero in casibus referuatis non est talis consuetudo, sed potius contraria. Ad reddendam autem rationem huius diuersæ consuetudinis deferuire possent illæ duæ congruentiæ, quod sacerdos habens iurisdictionem circa peccata mortalia, iam habet id, quod præcipuum est, & quasi substantiale in hac potestate. Item, quia ille est proprius pastor talis personæ, aut habet vicem eius, qui per felonando, & quasi ordinario iure habiturus erat potestatem in omnia peccata mortalia, & ideo quando aliqua eximuntur per reservationem; non omnino prohibetur absolutio personæ in casu necessitatis, integro relicto iure superioris circa causas illius proprias: simplex autem sacerdos nec est proprius pastor, nec per se illi conveniebat potestas in persona, aut in omnia peccata eius, & ideo non est consuetudine introductum, ut possit absolute personam habentem conscientiam peccati mortalis, extra necessitatem extremam.

SECTIO IV.

Virum qui habet casus referuatos, postquam semel absolutus est à superiore, vel per privilegium eius possit libere absolvi à quocumque inferiori.

Dupliciter
sepositi ge-
neris Superi-
or cum
subdito,
Primo.

Sæpe repro-
batur.

Syluest.
Caus.

2.
Secundæ.

Quando huiusmodi penitens per se, & directe absolutus est à casibus referuatis, vel immediate ab ipso superiore, vel ab alio per potestatem ab illo concessam, & prout ab illo concessa est, non est dubium, quin possit ab eisdem peccatis absolvi à quolibet inferiori sacerdote, ut in superioribus tactum est. Solum sunt hic duo advertenda. Vnum est dupliciter se posse gerere superiorem cum subdito reuelante ei suum casum referuatum: Primo illum absoluendo sacramentaliter à culpa: & tunc peccatum illud potest postea iterum atque iterum absolvi non solum ab inferiori sacerdote proprio: sed etiam à quolibet alieno: quia illud peccatum iam non solum non manet referuatum: sed etiam iam non est materia necessaria confessionis. Quare sine causa dubitat Soto. d. 18. q. 2. art. 5. an in eo casu tale peccatum maneat sine reservatione, cum ex consuetudine Ecclesiæ constat quemlibet sacerdotem posse absolute ab omnibus culpis, quæ non sunt materia necessaria confessionis, ut supra visum est. Posset tamen hoc habere nonnullum dubium: si absolutio illa fuisset informis, tamen si fuit valida, quamvis fuerit informis, idem dicendum est: quia etiam tunc peccatum illud fuit plene absolutum in ordine ad claus, ita ut iam necessarium non sit illud iterum confiteri. Quod sumi potest ex Syluest. verbo Confessio. q. 19. & Caiet in Summa verb. Casuum referuatio. Quid vero dicendum sit, si absolutio fuit inualida, postea videbimus.

Alio modo potest superior se gerere non absoluendo sacramentaliter, sed audiendo tantum, & imponendo satisfactionem debitam, dandoq; monita salutis, & reliqua remittendo inferiori, & tunc tale peccatum iam non manet referuatum, non tamen potest à quolibet sacerdote remitti, sed ab aliquo proprio, vel de licentia proprii: quia adhuc manet, sicut cætera peccata mortalia nondum confessa, estque materia necessaria confessionis. Imo addunt aliqui, tunc esse necessarium, ut inferior confessor sacramentaliter iniungat illam penitentiam, quam superior designavit: quia donec in sacramento imponatur ut pars eius, non manet obligatus, penitens ad illam exequendam: est autem intentio superari, ut penitens obligetur. Sed licet hoc sit vile, ut illa penitentia habeat effectum ex opere o-

perato, non tamen puto esse necessarium, ut penitens obligetur: quia ex quo superior illam imposuit, obligare potuit: nam per potestatem ligandi, eam imposuit. Item, quia si obligavit penitentem, ut illam manifestaret inferiori confessori, & huic ut illam imponeret, facilius potuit obligare subditum ad illam acceptandam, & faciendam. Denique etiam quando præcedit absolutio inferioris subonere comparandi, & postea subditus coram superiore comparuit, ab illo obligatur ad satisfactionem impostam implendam, alioqui valde inefficax esset potestas superioris.

Secundo, est in hoc notanda differentia inter superiorem, qui habet iurisdictionem ordinariam ad absoluendum à referuatis, & delegatum aliquem qui solum ex privilegio hoc potest: nam superior ipse potest se gerere duobus modis supra dictis; delegatus autem tantum potest aut absolvi, aut rem integram relinquere. Vnde non potest reservationem tollere, nisi sacramentaliter absolvat: si enim velit casum referuatum audire, & satisfactionem imponere, absolutionem autem alteri remittere, nihil faciet: sed tamen referuatum illum relinquet, sicut antea. Et ratio est: quia non potest ipse delegare iurisdictionem ad absoluendum, sicut superior: illa autem ablatio reservationis illo modo non fit, nisi committendo alteri iurisdictionem ad absoluendum. Et ideo, quoties per confessionem factam alicui habenti hanc facultatem delegatam, seu per privilegium, reservatio tollenda est, necesse est ut intercedat absolutio sacramentalis, quæ in præfenti casu semper tollit directe, ac per se tale peccatum, quia supponimus confessionem, seu manifestationem de illo in particulari factam esse. An vero aliter possit hoc contingere, in discursu huius sectionis dicemus.

Dixi autem in assertionem, Per potestatem ab alio concessam, prout ab illo concessa est, propter vulgare dubium, quod hic tractari solet, quando hæc facultas ut quis possit absolvi à referuatis, datur per Iubilæum, cuius indulgentia per varias actiones obtinenda est, quæ in discursu v. g. vnius hebdomadæ sunt; potest autem quis confiteri, & absolvi in quocumque die hebdomadæ: vnde potest sæpe accidere, ut prius confiteatur, & absolutionem à referuatis obtineat, & postea omittat alia opera necessaria, id est quæ indulgentiam non lucratur. Merito ergo dubitatum est, an ille maneat simpliciter absolutus, ita ut ille nec coram superiore comparere teneatur: nec iterum de illis peccatis absolvi, vel, si absolvi velit, possit à quolibet sacerdote, in quo supponendum est, illum bonâ fide fuisse confessum animo perficiendi cætera omnia necessaria ad consequendam gratiam Iubilæi. Alioqui, si mala fide accedat, certum est non manere absolutum, sed absolutionem à referuatis fuisse nullam: quia Pontifex non intendit concedere facultatem, nisi in ordine ad indulgentiam obtinendam, atque pro his, qui Iubilæum lucrantur: ergo quando absolutio datur ante consummatum tempus, & ante perfectas alias actiones requisitas, saltem est necessaria intentio obtinendi Iubilæum, & quod homo sit quasi in via in prædictum finem.

Hoc autem posito, dicendum est, illum hominem manere sacramentaliter absolutum à tali peccato, quia absolutio data fuit, ut supponimus, & non potuit esse pendens ex futuro eventu: quia hoc repugnat formæ sacramentali: ergo statim fuit valida, & habuit effectum (quia supponimus ex parte sciipientis non fuisse obicem) qui effectus irrenocabilis est, ut per se constat. Vnde illa facultas licet data fuerit in ordine ad futurum effectum, non tamen dependenter ab illo, ut à conditione de futuro: sed ad summum, ut à conditione de præfenti, id est, à præfenti intentione faciendi omnia necessaria ad

3.
Differentia
inter superi-
orem ordi-
narium &
delegatum.

4.
Dubium
de facultate
re concessa
per Iubila-
um.

5.
Solutio
dubij.